

D E S C R I P T I O
S C L A V O N I Æ , C R O A T I Æ ,
B O S N I Æ , D A L M A T I Æ .

*Illyricum
Sclavonia
et late
summa.*



Llyricum, aut ut aliis placet, Illyris, Sclavonia regio est, in ora maris Hadriatici, Italix opposita. Hujus termini non ab omnibus iisdem limitibus circumscribuntur: Plinius enim hanc inter Arfiam & Titium fluvios constringit: Ptolemæus vero eam ab Histria ad Macedoniæ usque confinia secundum maris littora producit, mediterranea ejus ad Pannones & Mœsiam superiorem expandit. Multo ampliorem eam describit Pomponius Mela, & Dionysius Alexandrinus. Totam enim oram maris Hadriatici à Tergesto Ceraunios usque montes Illyrii adscribit, eosque ultra Danubium fluvium habitare docet: Danubium siquidem inter ejus flumina Mela numerat. Strabo quoque libro suæ Geographiæ septimo eos Macedonibus & Thracibus propinquos esse ait. Verum omnium latissime ejus fines extendit Appianus Alexandrinus. Sextus Rufus, qui vixit tempore Valentiniani Imperatoris, septendecim provincias ei adscribit, Noricorum duas, Panniarum duas, Valeriam, Saviam, Dalmatiæ, Mœsiam, Daciarum duas, Macedoniam, Thessaliam, Achajam, Epyros duas, Prævalim, & Cretam.

Termini.

Longitudo ab Arfia ad Drinum usque est mil. Italicorum 380. Aëre fruitur nonnullis locis puro ac salubri, quibusdam minus grato, qua paludes ac exhalationes fœdae eam inficiunt. Regio omnis, teste Strabone, aprica & amœna est, solum fertile, etiam vitiferum, nisi qua saxis & rupibus horret, aut ad Pannonias, ubi frigida est & nivalis. Florus de Illyriis scribit, primo bello Punico Illyrios populationibus non contentos, licentiae scelus addidisse, legatos populi Romanii jure agentes, non gladio, sed ut victimas securi percuassisse; præfectos navium igni combussisse, idque, quod indignus foret, muliere imperante, quam ille Teutam vocatam scribit.

Oppida.

Sunt autem Illyridis sive Sclavoniae urbes potiores & oppida, *Senia*, vulgo *Segna*, sita ad mare in planicie; *Iadera* colonia, Liburnorum metropolis, hodie præcipua ac munitissima: *Zara*, vulgo *Sebenicum* oppidum, à Ptolemæo *Sicum* appellatum. In sinu spectatur *Scardonico*, in conspectu

Europæ Sept.

irrumpentis freti ad montis radicem, ubi est arx. Agris superbit fecundis: sed male nunc coluntur ob Turcarum grassationes. *Spalatum* & *Sale-na* Ptolemæo & Straboni celebrata. Est etiam in ea *Salona*, Dalmatarum navale, quod quidem nunc parum colitur, ob Turcarum viciniam. *Tragurium*, hodie *Trau*, à continenti parvo euripo separatum: *Epidaurus*, urbs vetus, ad cuius ruinas *Ragushum*, vulgo *Ragusj*, Turcis *Pobrovicha*, urbs exigua cum arce munitissima: nobile hic emporium est, in quo Turciæ merces quaqua versum distrahuntur. Res publica optimis legibus constituta est, cives opulentissimi satis. Fluvios præcipuos *Dravum* habet & *Savum*, qui in *Danubium* se exonerant. Illyrici seu Sclavonici populi fere omnes ligneis habitant ædificiis, culmo instratis, præter paucas litorales urbes, in quibus humanius degitur.

Sclavonia, quam hæc tabula exhibet, Illyrici istius pars est, nisi forte dicamus eam Plinii esse, *Sclavonia particula ris.* qui arctioribus eam limitibus constringit: continent *Windorum Marchiam*, & *Zagabrienem Comitatum*. Lingua utuntur incolæ Sclavonica, quæ nonnullis *Windisch*, apud Latinos *Illyrica* appellari putatur, hodieque omnium latissime patet, ut quæ à mari Adriatico ad Oceanum Septentrionalem extendi videantur: nam ea utuntur *Istrii*, *Dalmatae*, *Bosnenes*, *Moravi*, *Bohemi*, *Lusatii*, *Silesii*, *Poloni*, *Lithuani*, *Prutheni*, *Scandinaviae* incolæ, & longe lateque imperantes *Rufi*, *Bulgari*, multæque aliae circumvicinæ regiones, *Constantinopolin* usque, adeo ut ejus etiam usus inter Turcas sit.

De Sclavonia hac ita doctissimus Cluverius *Termini.* scribit in Introd. Geogr. lib. 4, cap. 3. Sclavoniae equidem nomine vulgo confusis Pannoniæ Illyricique limitibus, accipitur quicquid terrarum à Dravo amne ad Adriaticum mare protendit. At propriæ nota Sclavonia dicitur ea regio, quæ *Dravum* *Savumque* amnes interjacet, ab Occasu Stiria, ab Ortu Danubio clausa. Longitudo ejus est ab oppido *Koprantz* ad Dravi confluentem mill. Germ. quinquaginta. Latitudo à Dravo ad Savum xii.

Ad inferiorem Savi partem ultra Danubium protensi incolunt Rasci populi, Germ. die *Ratzen*. At totam hanc regionem aliquando Pannoniæ, mox Gothi tenuerunt; novissimi Sclavi, sive ii Sclavonii, qui ad hanc nostram ætatem manent. Hi quondam regnum in ea constituentes,

H h postea